

de, tum quoduis morborū genus præcauendi gratia, sanguinem detrahunt: nescio quo felici siderum positu (quem astrologorum Ephemerides promiserint) plerunq; ad hoc remedium pellecti. Et quoniam felicibus huiusmodi sanguinis detrahēdi notis auspicijs-que plenæ sunt Ephemerides, tum maxime cū plures illæ et geminæ occurrunt, venas seturi chirurgi accersuntur, vulgus ad tonstrinas suspensis fasciarum vexillis insignes frequens confluit. Hi singulis, illi pluribus venis incisis, familiarissimū naturæ et maxime vitalem succum, temere exhauriunt, corpora effœminant. Sic sanitatē non pauci pristinā pessundant: alij morbos vel eosdem quos declinabant, vel novos sibi accersunt: & remedij genus in aduersam valetudinem differendum (vti grauiter monuit Celsus) ut efficacius tunc prodesset, in secunda consumunt. Ego Ephemerides illas notarias, duplici nomine & vanas & perniciosas existimo: Primū quod obseruationes huiusmodi, omnino falsas et superstitiosas iudico.